FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PRO-CANCELLARIVS
D. AVG. FRID. WALTHER
ARCHIATER REGIVS ET P. P.
PARTVS MONSTROSI HISTORIAM
ET SECTIONEM DESCRIBIT
DEINDE
PANEGYRIN MEDICAM
INDICIT





Eque vero morborum tantum periculis, pluribusque externis iniuriis natorum vitiari formam corporum constat; sed etiam embryones, vtero licet materno conclusi, aliquando deturpantur, prodeuntque in lucem monstrosi infantes ac foedi. Imaginationem, fortiorem matris adfectum, praeuiumque, tamquam accidentis rei normam vel caussam communiter accusant, crediturque, ad medium vsque gestationis tempus, et vltra, vix tutum vtero haerere infantem, vt nequeant partes complures ab illa caussa foedari, aliaeque minui, aliae vero praeter modum augeri; nonnullae denique distorqueri, et plures adspectu teterrimae reddi. Tam tristis, vel formae pulcherrimae licet humanae mutatio, ac singularis plane euentus,

quo minus exploratam, hoc longe maiorem imaginationis maternae, animaeque vim ac facultatem significare videtur; quantam nihilo minus ea tum adhibet, et vehementer exercet, cum praeter consuetas, vsitatasque vnionis cum corpore leges, omnemque praeter organorum modum, tamquam liberior, sed incautus valde spiritus, vagaeque imaginationis ad normam, tenero embryonis corpori vim illa infert et operatur. Quodsi enim magnam, crudelemque hanc adflictionem diuinae potentiae prorsus adscribere nefandum putatur: tamen neque ex prouidentia, et quouis ordine rerum, quem ab condito quidem orbe Sanctissimum Numen sibi praefixit, saltem singulum hodie monstrum e rudimentis qualibuscunque euolui, atque prodire, nos vnquam existimabimus, veriti, ac satis certo persuasi, vt ita inuolutionum, incomprehensibiliumque rudimentorum tantus simul fingi mente deberet numerus, tantusque omnium esset veluti labyrinthus, quantus euentum singulum infinitis propemodum arcere modis post tot secula videretur. Doleamus ita mortalium imbecillitatem, minimumque eruditissimi superbiant, qui neque propriam, qua ipsi reguntur, animam satis cognoscere, et ex voto eius vires amplius explorare possunt, quam, vt ad declarandum singularia facta, vocabulum imaginationis, ideae, facultatis, praescientiae diuinae, euolutionis, aut fati, vel aliud, quod posteri quoque fingent, sufficere illis debeat; quo tandem, vel minimum sibi ipsis ingenui et perspicacissimi viri faciant satis. Verum, nos fidei memores datae *Dissertat. de cura foetus parentum officio*, iam partus monstrosi, et hydrocephali visi historiam integre et accurate tradere hoc lubenti magis animo suscipimus, quo magis recor-

recordari iucundum eſt, in ſingulo exemplo ſic confirmata nos accepiſſe, quae viri clariſſimi, fideque digni ſeorſim, et in pluribus adnotauerunt.

Hiſtoria partus monſtroſi et hydrocephali viſi.

Ciuis in hac vrbe vxor, cuius nomen licet reticere An. 1723. primum grauida, reique perinde imperita ac inſcia, menſe altero puerum inuiſit, variolis valde confluentibus coecum, tumore frontis, et oris, reliquaque facie teterrimum; Noſtra, inſigniter perterrita, manus ante oculos vultumque ſuum proiicit, ſed confeſtim inde ſe ſubducit. Iterum ea, paucorum inde dierum interuallo merces venditura, cum ad ingreſſum domus ſederet, puer alius, et mendicans ex improviſo intrat; et is quidem capito erat, oculis turpiter ductis, et naſo plurimum depreſſo, labio autem leporino, quod vocant, hiante, aliterque valde deformis. Quo illa ſpectaculo vehementer affecta, vt in priori caſu ſe gerit, aurem inſuper fricat ſiniſtram, puerumque inde fugientem bufonis nomine conuiciatur. Ab hoc demum tempore iſta doloribus in imo ventre, et ſaepius quidem, grauiterque vexari coepit. Noſtrum neque coniicere, neque decidere erit, quantum vel omnia, vel ſingula, quae non ita multo poſt proponemus, cum alterutro, aut cum vtroque adfectu conueniant. Die 30. Octobris, ad finem octaui menſis illa ad partum ſe diſponit. Tum non foetus ſuo capite, ſed pede vno, et genu altero ex vtero exitum molitur; planta quidem pedis dextri et genu ſiniſtro, ad naſcendum aequaliter procliuibus. Moderamen, quod in labore, tam parturienti, quam obſtetrici adhibendum nos aduocati ſuaſimus, cum vſu remediorum, quae molliunt, ſuffecere, vt hocce, licet aſperiore poſitu, nec ita facile mutando, tandem, et ſatis felici nixu

 viuus

viuus naſceretur foeminini ſexus infans; capitis nihilo minus, veluti abundante ac ſuperſtite monſtroſo tumore, ex vtero aegre magis educto; quem ſecundinae, nec modicum ſanguinis profluuium exceperunt. Garrientibus de monſtro viſo mulierculis, cognatis, domeſticis atque vicinis, percrebuit eius rumor, ac plures ſpectatum veniunt, inter quos et aliqui in aere magiſtratus erant. Id monſtrare pluribus auia materque recuſant, et de celando infante anxii cogitabant: maxime vero nos conſulunt quomodo infans ſuſtentaretur, cum ſugere non poſſet. Mortis euentum praediximus, nihilominus tantum opitulati, quantum vitiatae, et mox percenſendae partium conditiones ferrent; quas interim omnes probe notare, imo metiri, quoties tergum darent inſpectores invidae mulieres, neque negleximus. Tertio ab natiuitate die cum infans deceſſiſſet, tantum abfuit, vt conſequi ex voto, et conſeruare cadauer poſſemus, vt nonniſi ſectionem, ſe famuloque noſtro ac Chirurgo praeſentibus fieri parentes permitterent, abhorrentes et deteſtati omnem picturam, omnemque rei memoriam conſeruandi modum. Ipſos ſuſpicio, et vana ignominiae, inde ſibi ſuisque contrahendae perſuaſio eo adduxerat, vt, veriti cum eſſent, veſpillonem iuſſu ſenatus ablaturum eſſe monſtrum, vbi ad ſepeliendum ei traderetur, tum iterum nos adirent, peterentque, vt totum caput, quod iam attente ſectum erat, ſimul cum reliquis partibus vitiatis, porro, et in partes valde minutas diſcinderemus; nec tum hac in re ſuperſtioſis refragari potuimus, crebriore ſpectaculo rerum, et dimenſione omnium exquiſita contenti. Ea ſicuti delineanda illo tempore aerique incidenda curauimus, quantum vi-

ui

ui deſcriptionem cum cadaueris ſectione comparare fas eſt, iam breuibus deſcribemus verbis.

Tumoris habitus et ſectio declaratur.

Negligimus autem, tam ſuperiores, quam inferiores artus; licet admodum incuruos, et ſubinde tortos tum viſos, digitisque tuberoſis, ac coalitis inſtructos; ſiquidem talia naſci minus rarum eſt. Neque etiam de corporis trunco, quippe recte figurato, quaedam monenda habemus; modo ſollicite de capite ſcribamus, et huius cum ſuperiorem tumorem, tum mire deturpatam faciem ſedulo exquiramus. Hydrocephalum A. ſub vera magnitudine formaque, *Figura I.* adiecta ſiſtit. Grandior iſte tumor ante obitum infantis, et poſtea nonnihil mobilis ac pendens, eiusdemque cum cute coloris erat; et ipſe manibus contrectatus ad molis carneae modum renitebatur. Sphaericam porro is formam habuit, minimum quidem piloſus, nec niſi tuberibus binis, ex atro rubentibus BB ab ſiniſtra parte dependentibus inaequalis viſus; ſed in vertice, et ſecundum longitudinem nihilominus ſulco notatus erat C, qui ſuperius tumorem bipartiebatur. Maxime dolebat infans, atque clamitabat, quoties premendo tumorem verſus fontanellam, nonnihil eundem vrgeremus; quamquam de cetero motum tumoris mediocrem, et propenſionem in hanc illamque partem, ſine edito vagitu ille ſuſtineret. Verum ſequuntur iam ea, quae tumoris caluariaeque triduo denati ſectio declarauit. Quem, cum ab vtroque latere tumorem incideremus, vndique digitum minimum circiter craſſum inuenimus; et ex ſingulo latere, librae circiter pars altera ſanguinis diluti, veluti e duobus locis diſtinctis fluxit. Iam, ſub altitudine interualli vtriusque tuberis B, non tantum pericranium

cum

cum capitis communibus integumentis,praeter modum craſſis, ſed ipſa pariter dura mater cum iis cohaerere hoc loco coeperunt. Nam,paullo inferiori, et quidem fontanellae loco,illa meninx extra caluariam egreſſa,ab vtraque parte ſubinde lacera quoque viſa,mox cum illis membranis externis coaluit. Adparuit porro ſectione,ac ſub fiſſurae quidem loco C elatus retegebatur, naturali quidem maior et craſſior durae matris falciformis proceſſus; qui proinde ſolito maiorem longitudinalem ſinum videndum exhibebat; quippe praeter omnem modum elatum, arcuatum, et extra caluariam eminentem. Tali, tamque vitioſo et ingenti ſepto, falcatoque proceſſu,cerebrum nihilo minus intentum et bipartitum occurrit, vt diuiſionis nota externa C inde pateret, et vtrinque nihilominus relinqueretur inter cerebrum et duram matrem ſpatium,ſanguine quidem congelato,partim vero cruore, qualis inter incidendum prouenerat, omnino plenum. Quare cerebrum intra vitioſam ampliſſimamque menyngis durae cauitatem,et vndique quidem cum ſectione retexiſſemus, tum e fontanellae loco ferme totum illud prorupiſſe, et ſedem ab oſſe nudam, ſed ita alienam viſam, et extra caluariam ſibi paraſſe innotuit. Erat autem fontanellae locus, ſolito humilior, ac magis oblongus ipſe hiatus,et inaequalis videbatur. Proinde,ad fontanellae potius aemulum huncce hiatum, quae contrahebatur,mox in liberius ſpatium educebatur ampliorque cerebri moles,in tanto nihilo minus tumore ſuſpenſa erat;tam ſuperius ſua forma ad duram matrem,et eius proceſſum tumoremque reliquum omnem, quam inferius ad illam fontanellae ſimilem aperturam accommodata. Qui fontanellae locus, vitio illato praeuioque apertus, oſſeis

limiti-

limitibus, non quidem illis naturalibus veluti ſtriatis et oſſeſcentibus, perinde ac tenuibus circumſcribebatur; ſed oſſa bregmatis vel triplo breuiora, nec globoſa externe et erecta, quin potius inclinata erant; ſimul prae naturalibus longe duriores eorum, et oſſei craſſioresque fines hiatum illum, quem diximus, vtrinque limitauerunt. Quorſum iam pariter ab parte priori, accliue atque depreſſum craſſumque os frontis conuenerat, vt ſublimia ceteroquin caluariae oſſa, et conuexa in ſanis viſa, formam leporini cranii, hocce in exemplo ad vsque hiatum illum preſſe imitarentur. Quorum omnium igitur oſſium non maior atque occipitis oſſis, recteque in exemplo locati altitudo; ſed ad radicem vtriusque oſſis bregmatis perexigua vtrinque, ac vix memorabilis pars cerebri in caluariae fundo ſupererat. Ipſum vero occipitis os, ſicuti reliqua, quae modo diximus, ad craſſitiem et duritiem oſſium infantis duorum annorum ex omni parte acceſſerunt, vt neque minori firmitate, quanta quidem cum haec aetate conuenit, ſutura lambdoidea, id occipitis os, quod cerebellum naturali ſimillimum exquiſite tenebat, ita demum figeret ac ſuſtineret. Quam ob rem pulſum ex naturali ſede ſua deformeque cerebrum pariter ſibi compagem, pro aetatis modo minus teneram, ſed ſpiſſiorem paullo adquiſiuit; et ipſum in caulem oblongum, quaſi fontanellae vitioſo hiatui accommodatum deſinebat, vt tandem ſicut medulla oblongata cum cerebello coiret, neruosque nonnullos poſteriores intra caluariam ablegaret. Nam hos inter neruos omnes, qui e caluaria prodeunt, quatuor paria priora obliterata, et absque dubio dirupta fuerunt.

Memorabilium reliquorum descriptio.

Inter ea,quae faciem deturpauerant, male dispositi oculi erant, horridumque complura alia vultum fecerunt. Nam dexteriores palpebrae ab positu naturali viisque lacrumalibus alienae, et versus nasum decliues, valdeque deformes visae, partibus insuper longitudinis monstrosae tribus coaluerunt; sed oculi bulbum magnitudine naturali haud adeo minorem concluserunt: nihilo minus cornea, transparente ceteroquin in sanis tunica ille destituebatur oculus; qui ceteroquin sub hiatu palpebrarum exiguo illico videndum se dedit. Neque vero minus turpiter sinisteriores palpebrae ducebantur, sed ferme ex toto cum inferiori superior cohaesit; ac sub earundem, incisione quidem apertarum tegmine oculi exquirebatur orbita, dexteriore angustior, et,copiosam inter pinguedinem,delitescentem oculum,triplo naturali minorem, nihilo minus cornea transparente nitidaque, pro magnitudine oculi instructum condens atque tenens. Tantum paullo superius,et ad sinum inter ossa superiora papyracea ille reponebatur oculus monstrosus, et musculis de cetero destituebatur. Vterque vero oculus suos humores, pro magnitudinis ratione tunicasque internas et iridem conclusit; tantum retina neruusque opticus,disparuerunt. Inde, in facie externa, tam dextrarum, quam sinistrarum palpebrarum decliuiumque anguli interni, cum sulco vtrinque conspirarunt, qui loco nasi sedis fere consueto ab oculis ad superioris labii fissuram amplissimam descenderunt; quam non ita multo post proponemus. Inter hos sulcos dexter magis conspicuus,et amplior prae sinistro erat, tractumque in integumentis faciei, veluti secta haec essent,

ſent, vterque monſtrabat; vt ita ad orbitae angulum internum difformis via pateret. Sigillatim ille ſulcus, qui ab ſiniſtris deferebatur, hic fere in medio tractu eminentem quandam, nec cartilaginis diſſimilem ſubſtantiae, ac quintuplo circiter naturali minorem aurem externam, ſed inuerſam, et inde eminentem, exemplo notabili exhibebat. Erant in ea omnes cauitates et ſinus inſculpti, eminentesque partes reliquae ſpectaculo iucundo diſcernebantur, quales ſunt helix et anthelix, deinde concha et ſcapha, tragus et antitragus; ipſe denique meatus auditorius ſingulari foramine, quod ad os vsque ſubiectum penetrabat, ita quidem fictus omnino erat. Inter vtrumque tegumentorum faciei ſulcum, quem modo diximus, iam medius extare naſus debebat. Nulla hic naſalia oſſa, aut qui diſtincti eſſent et eminerent oſſium maxillarium naſales proceſſus; deinde nullus vomer, nec cartilagines externum naſum effecerunt; ita vero fornice omni et naribus abſentibus, ore tantum ſpiritum duxit infans. Proinde ſulci, quos ante notauimus, nonniſi deformes naſi limites quodammodo ſignificarunt, ac, de reliquo, vterque in fiſſuram ſuperioris labii, deinde vero in maxillae oſſis et proceſſuum palatinorum aperturam deſiit, per quam aer inferioribus locis ad oſſa ſpongioſa atque internas naſi cameras ducebatur. Erat igitur ſuperſtes ſuperioris labii, pariter fiſſi portio, Fig. 1. L, eaque proſpectum haerentis exiguae partis Fig. 2. F. in ore cum prohibebat, tum ex parte adnaſcebatur gingiuae maxillarique oſſi fiſſo O, et P Fig. I. ſed D et E *Fig. 2.* viſis; ſcilicet ita protuberantibus hiſce ac par-

 titis,

titis, vt nihilo minus supplerent pro labio leporino fin-gendo defectum ipsius partium labii superioris qualis *Fig. 1.* literis M et N notatur. Ex quo, praeter superioris labii amplissimam partitionem etiam gingiuae, et maxillaria atque palati ossa valde notabilem hiatum, sed ab vtraque parte, superstitis quidem portionis internae vomeris, exiguaeque retulerunt; qualis proinde ingressus priori oris loco C *Fig.2.* digitum minimum pro amplitudine sua capiebat; sed hiatus ipse, suo per palatum progressu, tandem ad sedem vuulae, quae desiderabatur, sensim angustissimus factus, rimae instar, in faucibus apertae finem consequebatur. Quare in illo palati hiatu partitio quaedam in naso interno, et varietas ab parte oris vtrinque obseruabatur. Nam amplior quodammodo prae parte finisteriore fissura dexteriori loco erat, et vtramque disiungebat ossium palati fissorum angusta, sed media sedes, qualis ceteroquin in sanis multo exquisitius vomerem figit; cuius quippe sedis pars exigua nonnisi minorem vomeris partem, relictam sustentabat. Per duplicem ita fissuram, ore quidem aperto, spongiosa ossa inferiora in sensum inciderunt, et bini ingressus deletarum narium expleuerunt vices, spiritumque ad cauernas nasi interioris, et ad vtriusque generis spongiosa ossa atque fauces, in recens nato detulerunt.

Etiamsi nos mechanicae doctrinae, quam fieri potest et indulgeamus, et eandem amplificare solliciti studeamus; nihilo minus sub vehementioribus animi adfectibus euenire experimur, quae tam ab solitis mechanismi et vel coniectura assequendis viribus, quam ab animae consueta vitam faciendi lege longissime recedunt;

et,

et, talia in morbis subinde grauioribus, imo lethiferis obseruari propediem luculenter docebimus, quandoquidem dicendi occasionem dabit

DOMINVS

IOHANNES ERNESTVS KVLMVS,

GEDANENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

Qui Patris et Patrui, celebris apud Gedanenses, cum illo in viuis esset, Medicorum fratrumque paris tam disciplinae plurimis quam probitatis vitae perceptis nutritus atque instructus, in hanc florentissimam Academiam se contulit, et triennio, quod hic exegit, Artis salutaris Professoribus ardorem ingenii industriamque singularem demonstrauit; sed examine cum Theoretico tum Practico enituit, pluraque in monumentum eruditionis Publicis Lectionibus euoluit et perquisiuit: his vero diebus, ab incluto Medicorum Ordine, Licentiae, quem vocant Gradum modeste petiit. Cui honesto neque desiderio commendatione Ordinis permotus refragari voluit *Reuerendissimus, Serenissimus atque Celsissimus Princeps, et Dominus Dominus* HENRICVS, *Dux Saxoniae,*

 Iu-

Iuliae, Cliuiae, Montium, Angriae et Westphaliae, Episcopatus Martisburgensis Administrator, Landgrauius Thuringiae, Marchio Misniae et vtriusque Lusatiae, Comes Principalis dignitatis Hennebergicus, Comes Marcae, Rauensbergi, et Barbyae, Dominus in Rauenstein, etc. Academiae huius Cancellarius perpetuus, Dominus meus Clementissimus,

et actus solennis Procancellarium me Clementissime constituit. Quare futuro die XIX. Septembr. Dissertationem de spasmo vesicae, quam ipse Candidatus elaborauit, publico eruditorum conflictu hic noster defendet, et post *orationem inauguralem de vita et praenuncia mortis conuulsione* titulos atque honores illi impertire suscipiam. Quare Academiae RECTOREM

REM MAGNIFICVM, COMITES ILLVSTRISSIMOS, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMOS PERINDE AC CIVES GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS, ad audiendam disceptationem ornandamque sua praesentia Panegyrin officiosissime inuitamus. Lipsiae D. D. XIV. p. Trinit. A. MDCCXXXII.





TABVLAE ADIECTAE EXPOSITIO.

Fig. I. *Monstrosam faciem infantis atque capitis tumorem exhibet.*

AA. *Tumor capitis.*
BB. *Adpendices.*
CC. *Diuisionis nota in sulcum minorem desinens, cuius generis sulci plures subinde in tumoris ambitu erant.*
D. *Palpebrae dexteriores.*
E. *Palpebrae sinisteriores.*
F. *Sulcus ab angulo oculi interno dexteriore ad labium leporinum deductus.*
G. *Sulcus ab angulo oculi interno sinisteriore ad labium leporinum deductus.*
I.K. *Auris externa inuersaque minor et aliena.*
L. *Portio labii superioris medio loco superstes.*
M.N. *Fissi vtrinque labii superioris partes a latere visae.*
O.P. *Gingiuae.*

Figura II. *Prospectum palati ab parte oris, quantum expedit, videndum praebet.*

C. *Ingressus Fissurae ossis maxillaris communis.*
D.E. *Gingiuae cum conditis dentium alueolis.*
F. *Sedes partis relictae vomeris nasalis exigua et superstes.*
G. *Fissurae post vuulae locum finis.*




C
C
Fig. I.
A
A
B
B
D
H
K
G
E
F
L
M
N
O
P
G
Fig. II:
F
D
C
E
J. G. Krügner Sc. Lips